


PHALANGARII

Vetus Italia in Italia noua inscripsi disputationi, quae posita est huius Musei uol. LXXV 1926 p. 235 seqq. Quae studia ut repeterem suasit Gualteri Schlenker commentariolus de institorum praeconiis publicis Pompeianorum, editus die X mensis Iun. 1929 Berolini in schediis *Forschungen und Fortschritte*, quo explicatur anaglyphum in angulo domus reg. VII ins. IV n. 15. 16 Pompeis propositum. Quod anaglyphum hic



delineatum est ad effigiem, quae in Beckeri Gallo (uol. III³ Leipzig 1863 p. 28) est exhibita, quia, quae a Schlenkero l. s. s. addita est photographia, aegre ea oculis dignoscitur. Videmus dextrorsum gradientes gressu prono homines duos barbatos, exomide tectos, pedibus et capitibus nudis. Qui gestant umeris asserculum, e quo dependet medio inter homines amphora uinculo adnexa, sed ita, ut homo prior sinistro umero onus suum portet, sinistra manu teneat asserculum, sinistrum pedem proferat, baculo, quod dextera tenet, terram premat, capite sodalem reflexo curiose respiciat, at posterior prospiciens ut dextro umero onus gestet, dextra manu teneat asserculum, dextrum pedem proferat, sinistra baculum teneat, quo terram tangat: nempe uoluit artifex sollers grata figurarum uarietate delectare spectatores. Simili modo uestiti baculisque innixi incedunt homines IV in pictura

Pompeiana 1480 catalogi Helbigiani, qui aediculam portant: quae aedícula Mineruam deam et Daedalum in officina continet lignaria. Similiore etiam modo uuam ingentem gestasse traduntur Iosua Caleb Iudaei in Vulgata Hieronymi Num. XIII 24: 'abscederunt palmitem cum uua sua, quem portauerunt in uecte duo uiri': idem, dissimili tamen elocutione, enarrant LXX interpretes l. s.: ἔκοψαν ἐκείθεν κλήματα καὶ βότρυν σταφυλῆς, ἕνα ἐπ' αὐτοῦ, καὶ ἦραν αὐτὸν ἐπ' ἀναφορεῦσιν. Vbi pluralis ἀναφορεῦσι, qui recte legitur Exod. XXV 14, uix aptus esse uidetur, poterit tamen stare singularis *uecte*, quem praebet Hieronymus, sicut in simili re apud Claudianum poetam idem adhibetur uocabulum in panegyrico de IV consulatu Honorii u. 573 p. 171 Birt. At ueteres siue Romani siue Pompeiani Nonio auctore p. 163, 20 homines '*palangarios* . . . qui aliquid oneris fustibus transehunt' dixere: nam '*palangae* dicuntur fustes teretes, qui nauibus subiciuntur, cum adtrahuntur ad pelagus uel cum ad litora subducuntur': *palangariorum* monimentum commemorat titulus urbis 7899 sylloges Dessauianae, C. I. L. VI 7803, item titulus urbis C. I. L. VI 1785 *falancarios*: quem ad distributionem uinariam pertinere enarratur ab Hugone Blümner ad edict. Diocl. II 1 p. 68. Atque *φάλαγγας ἐβένου* uocarat fustes ebeninos Herodotus III 97 med, in Aristoteleis mechanicis p. 849 b 36 *φάλαγξ* dicitur iugum bilancis librae: cuius in similitudinem uectis *phalangariorum* auctore Vitruuio X 3, 8 p. 255, 8, tamquam iugum, secundum mensuram longitudinis, qua centrum distat a collo ferentium, aut premit hominem nimium, aut subleuat.

Itaque duo illi homines in anaglypho Pompeiano sunt phalangarii, qui uinum gestant, diffusum ex doliis in amphoram: quo de usu Marquardtii libro de uita priuata p. R. (Lips. 1886) p. 461 seqq. actum est ab Augusto Mau. Poterat autem paterfamilias amphoram suam ad domusionem quod satis sit replere ex *doleario* agricolae uindemiatoris, quod memoratur Dig. XVIII 1, 35, 7, bene seruatum est in uilla prope Boscoreale sita (conf. Mau de Pompeis Lips. 1908 p. 382), effictum in anaglypho in Britannia seruato quod exhibetur in Baumeisteri monumentis fig. 2336. De dolio tamen potabant tantummodo ruri. Nam quae Cic. Pison. 67 leguntur de L. Calpurnio: 'bibitur usque eo, dum de dolio ministretur', ea audacter ficta sunt, quo magis, qui audiunt,

Pisonem contemnant ut hominem rusticum, Insubrum, Placentinum, Gallum. Poterat etiam paterfamilias amphoram suam implere ex utribus agricolarum, qui uicos circumbant plaustra agentes. Quod repraesentatur pictura Pompeiana in Helbigii catalogo 1487. 1488, apud Baumeisterum l. s. 2335, quomodo olim agricola iam fecerat Icarius Atticus. Quem ferunt 'utres plenos in plaustrum inposuisse', quibus pastores 'perambulans Atticorum fines' ebrietate reddiderit insanos (Hygin. astron. p. 35, 13 seqq. Bunt.). Poterat praeterea paterfamilias adire negotiatores uinarios, quorum tituli leguntur collecti in Dessauii sylloge 7483 seqq., mercatus uinarius pictus extat in domo Vettiorum Pompeiano (Mon. dei Lincei VIII 1898 p. 360). Plerosque tamen forum uinariu petisse probabile est et Romae et Athenis. Qua de consuetudine Aristophanes poeta egerat in fabula Heroes inscripta (299 K) his uersibus:

*Τρέχ' εἰς τὸν οἶνον, ἀμφορέα κενὸν λαβὼν
 Τῶν ἔνδοθεν, καὶ βύσμα, καὶ γευστήριον·
 Κάπειτα μίσθον σαντὸν ἀμφορεαφορεῖν.*

Vbi suadet homo liber homini libero, ut ad forum currat uinariu cum amphora uacua ex eis, quae domi sunt, et cum cortice ad obturandum, et cum trulla ad hauriendum et gustandum: ita instructus ille sese locet ad amphoras gestandum phalangarius futurus.

Nam phalangariorum modo grauem illum amphoram gestasse multo magis probabile est, quam illo modo quo Cres elegantissime pictus amphoram fert in pariete Gnosio: conf. A. Springer Kunst des Altert.¹² 1923 p. 116. *Γευστήριον* autem apud Aristophanem uidetur esse trulla ad gustandum et ad hauriendum apposita quae memoratur Poll. X 75 ἔστι δ' ἐν τοῦτοις καὶ ὁ σίφων καὶ τὸ παρ' Ἀριστοφάνει γευστήριον. Quo instrumento imprimis utebantur eo loco fori uinari, qui appellabatur τὰ γεύματα. Qui locus memoratur ab Ehippo comico (C. A. F. II p. 261, 18 K), et a Diphilo (l. s. p. 541, 3), uenuste depictus exstat in uasculo Tarquiniensi, edito ab Erico Pernice Jahrb. d. Arch. Inst. VIII 1894 p. 180 seqq. Adsident ibi in sedilibus lapideis mercatores uinari cum binis amphoris, quibus siphones inserti sunt, uociferantes et digitis computantes exaduersum emptores. Ex uersibus igitur Aristophanis s. s. intellegimus, Athenis phalangarios cum sua

quemque amphora emptoribus praesto fuisse, horum iussu et auctoritate uino istam amphoram replese et domum asportasse. Vbi sane uinum ex amphora in lagonas diffundebatur: nam more Graeco in conuiuio *λάγνος κατ' ἀνδρα κείμενος οἴνοχοεῖτο* auctore Lynceo Samio apud Athenaeum XI p. 499 C.

Itaque patet illos homines in anaglypho effictos mercede amphoras domum portasse, quas attulerant emptori uacuas: antequam eius uinum deferebant, legitime obturabant; trullam promptam semper offerebant, quo ubique emptor probare possit, gestasse illos per uiam sine dolo malo, neque partem uini commissi esse furatos, neque aquam eos infudisse subdole, neque fraude mala mercem adulterasse. Itaque homines illi phalangarii debebant esse uiri boni et probi et spectatae fidei. Sed amphoras domi habebant Trimalchiones (Petron. 34, 6), elegantiore cum censu qui uiuebant, illi uino utebantur per lagonas diffuso. Auream fabellam narrat Q. Cicero in epistolis M. fratris XVI 26, 2 de Heluia matre et callida et lepida, 'quae lagonas etiam inanis opsignabat, ne dicerentur inanes aliquae fuisse, quae furtim essent exsiccatae'. C. Plinius epist. II 6, 2 hominem sordidum uocat, qui 'uinum etiam paruulis lagunculis in tria genera discripserat . . . aliud sibi et nobis, aliud minoribus amicis . . . aliud . . . libertis'. Itaque coponis signum erat lagona teste Martiale VII 61, 5: qui uinum praestabat uenale. Quales copones cum trulla, lepide describit Themistius XXIII p. 360/1 Dind. mercem suam et mensurae suae summam capacitatem commendantes: *οἱ ἄγαν σοφιστεύοντες τῶν καπήλων, προδεικνύντες τὸν ἀρυστήρα, κερράγασαι καὶ ἐκβοῶσιν, ὅτι τοῦ νέκταρος ὄδωδε τὸ πόμα ἐκείνο, καὶ ἡ κοτύλη πολυχανδεστέρα <τῶν ἄλλων> . . .*

Neque tantummodo uendebant copones lagonas, sed accidit etiam ut eas emerent: ueluti in Diphili Adelpis (3 K.) inducitur anicula furax furuncula, quae ad degustationum forum lagunculam sub ala adfert saepe clanculum, replet furtim inter gustandum, tum quasi ab eranistarum choro pecuniam colligens uendit deinceps rem furtiuam coponibus, quicumque legitimis uini mercatoribus ob iniuriam irati sint fraudulentis, ad unum omnibus. Ita enim interpretor uersus Diphili, quos dicunt editores obscurissimos, quibus nescioquis recordatur *γράφιον* aliquod hoc modo:

ὁ τοιχωρόυχον

Ἐκεῖνο, καὶ τῶν δυναμένων λαγόνιον
 Ἔχον βαδίξειν εἰς τὰ γεύμαθ' ὑπὸ μάλης,
 Καὶ τοῦτο πωλεῖν, μέχρι ἄν, ὥσπερ ἐν ἐράνω,
 Εἷς λοιπὸς ἧ κάπηλος, ἡδικημένος
 ὑπ' οἰνοπώλου:

ubi *μέχρι ἄν* coniunctionem intellegas ut apud Menand. 633 K *μέχρι ἄν ζῶσιν*. Atque istud ex caupona uinum Cic. Pis. 67 uocat 'uinum a propola atque de cupa', comoediam inducens, non ueritatem: ubi cupam intellego dolium institoris ligneum, quo uina et noua et cruda inferuntur et uilissima. Denique qui uocabatur oenophorus portabatur in peregrinatione, quo de egimus ad Lucil. 139. Formam huius supellectilis tradit exemplar fictile caelatam, altum centimetra 24, quod enarrat Robinson Amer. Journ. of Arch. XIII 1909 p. 30. De hoc admodum pusillo uasculo tamen non potuit Horatius serm. I 6, 109 dicere 'cum Tiburte uia praetorem quinque secuntur te pueri, lasanum portantes, oenophorumque' neque Iuuenalis VII 11 enumerare ut rem pretiosam 'oenophorum tripedes armaria cistas' ubi singularis indicat toti familiae sufficere unum istud uas. Oenophori usus pusilli illius forsitan fuerit uel ad degustationem uel similis laguncularum illarum, quas l. s. s. memorat minor Plinius. Sed serui illi V qui praetorem secuntur uia Tiburtina, et lasanum ad coquendum et oenophorum ad uini apparatus uecte uidentur portasse similiter atque phalangarii facere solebant. A quibus portatur uinum in amphora placide pedetemptim, tamquam homo nobilis in lectica. Cauent enim, ne faeculenta a fundo sursum moueantur ualide succussa, quo uina diligenter liquata penitus turbentur et corrumpantur necesse est.

Itaque Romae qui apud Nonium l. s. s. more uetusto *palangarii* uocantur, item in altera inscriptione C. I. L. VI 7803, magis urbane a Vitruuio X 3, 7 p. 254, 22 et C. Gl. L. II p. 150, 21 *phalangarii*, inde a Constantini aetate ueluti in inscriptione C. I. L. VI 1785 *falangarii*, uel C. Gl. L. II p. 70, 14 *falangiarii*, isti homines mercennarii Romae collegio consistebant. Quod efficitur illa inscriptione C. I. L. VI 7803, in qua legitur *in monumento palangarioru*. Simili modo et muliones et asinarii Potentiae in collegium coierant teste inscriptione sylloges Dessau. 7293. Fuerunt igitur et

Athenis et Romae homines spectatae fidei, bene morati, fidi fideles, quibuscum in tenebris.

Neque denique est quod dubites de interpretatione anaglyphi illius Pompeiani. Recte enim uini mercatum hac tabula publice indicari empturientibus ciuibus ueluti in libro Overbeckii de Pompeiis (Lips. 1884) retractato ab A. Mauio p. 379 exponitur. Neque enim probabile est, quod Schlenker l. s. s. alios ex suffragatorum commendationibus, quae in illa domo leguntur adpictae, arbitrari domum fuisse saccariorum praedicat. At etiamnunc Mantuae exstat huius altercationis et suffragium et testimonium uiuum, quo litem secare possumus, de quo infra agetur. Pompeiis igitur phalangarii teste hoc anaglypho amphoras uini fuste gestabant emptoris iussu e domo mercatoris uinarii, qui uinum per uicos emptoribus distraheret. At in urbe Roma posteriore tempore non amphoras, sed cupas gestasse illos edocetur inscriptione illa a Blümnero l. s. s. tractata, quam saeculo fere IV uel V tribuit Hülsen Topogr. I 3 (1907) p. 454 seq. 601. Vina fiscalia in loco, qui dicitur ad Ciconias nixas, ad Tiberim in campo Martio adueniebant: promittitur merces *falancariis qui de ciconiis ad templum (Aureliani) cupas referre consuerunt nummorum certus numerus, austoribus in cupa una numm. XXX, exasciatori in cupa una numm. X, custodibus cuparum* similis merces, item *professionariis, de ciconiis statim ut adueniret uinum, in una cupa numm. CXX*: ubi statim ut coniunctionis unius ritu adhibetur ut Cic. Verr. V 55 alias. Cupas uero ligneas fuisse et loci scriptorum edocent in thesauro l. L. s. u. *cupa cupula cupella* collecti, ueluti Palladii III 25, 12 'uel in cupellis uel in uasculis fictilibus picatis condiuntur', et quae Hugo Blümner tradit in libro de antiquit. priuatis Roman. (Mon. 1911) p. 149. At Mantuae ante bellum ego quidem ipse uidi e collegio phalangariorum binos cum cupis per urbem gradientes, quos dicebant uinum emptum emptoribus iussu mercatoris more sollemni mancipio tradere: quomodo in carta epistolari illo tempore pingebantur, in effigie ad finem huius disputationis addita licet cernere. Eodem modo baculis innixi, quae dextera tenent, sinistris lignum suum prendentes, incedunt pompae instar, ampliter uestiti, bene calceati, coriis cupariorum ritu muniti antependulis, pilleati pilleis dignitossis: uocantur *i brentatori*, dicuntur esse homines spectatae fidei,

bonae famaе, recti et honesti, collegio coniuncti. Atque pergratum fecit, quod Carolus d'Arco comes edidit statuta Mantuana, collecta et disposita anno 1303 a fratribus Bonacolsis, et commentario exornauit utili in libro qui inscribitur: *Studi intorno al municipio di Mantova* III uoll. Mantova 1871. 1872, sed in inuolucro uoluminum *Storia di Mantova*. Vbi facile agnoscimus phalangarios Romanorum ueterum libro IV statutorum rubrica 46 (uol. III p. 57 seq.), qua agitur *De portitoribus* his uerbis: 'Portitores autem uini iurare faciat dominus Potestas, quod manifestabunt officialibus Communis Mantuae omnes personas illas intra (*editur* infra) tertium diem, quibus uinum portarint (*editur*: portarent) uel trauasauerint, inceptum uendi ad minutum; et attendent omnia mandata domini Potestatis, tam super factis uini quam super aliis. Item, quod nullus portitor uini ascendat super plastro (*editur*: ascondat super plastro) uini, nisi uocatus fuerit per emptorem bamno X sol. par. Et portitor uini de plastro exonerando ante domum alicuius, uel de portando de uegete in uegetem, uel de uase in uas, habeat XII par., et non lauando uas uini VIII par., et abinde infra, secundum quantitatem uini et pro rata precii.' Atque 'de dacio uini ad minutum' actum est lib. I rubr. 62 (uol. II p. 107). Porro de portitoribus rubrica s. s. monet ciuitas: 'Et portitor teneatur seruire cuilibet et dictum suum officium exercere precii supradictis et non recusare ... Et teneantur ipsi portitores accurrere ad ignem siue ad incendium, si oriretur uel fieret in Ciuitate Mantue uel burgis, cum soliis necessariis ad portandum aquam ... Et predicti portitores habere debeant sua solia cohopta, ita quod discohoperire non possint, nisi stanghe a dictis soliis auferantur, cum quibus sic cohoptis (*lege* cohopta) per ciuitatem et burgos portent, et non aliter, bamno X sol. par. qualibet uice pro quolibet.' Facile agnoscimus uel uectes uel fustes uel phalangas phalangariorum, quas *stanghas* uocant Mantuani, *tinalia* quondam in Gallia uocabant: unde in prouincia *tinal* uocantur, in uetere Gallia *tinel* uocabantur: conf. Diezii Etymologicum (1887) p. 688 s. u. *tinel*, item Meyeri-Lübkei s. u. *tina* et *phalanx*. Nam *tina* uocabulum, quod semel ex Varrone solus Nonius p. 544, 4 in lucem protraxit loco nondum recte constituto: 'Cupas et tinas Varro de uita p. R. lib. I: 'antiquissimi in conuiuuis utres uini primo, postea tinas ponebant (id est mori longi cum operculo ad cupas) tertio amphoras', id in Gallia

per saecula mansit. Apud Nonium autem in exordio ad *Varro* supplendum *uocauit*, in uerbis *Varronis mori* uocabulum uasculi tam rarum quam *tina*, 'ad *cupas*' significare uidetur ad *cuparum formam*, sicuti 'a*ecus ad aedilicium modium*' *Menipp.* 245, de l. Lat. V 77 'uernacula ad *similitudinem*, ut *surenae, pectunculi, ungues.*' De phalangariis *Mantuanis* egit d'Arco l. s. p. 86 pluribus. Iam compara anaglyphum *Pompeianum*: quantopere concinant ueteres illi mores cum hoc saeculo, apertum est. Ad *Vitruuii* denique locum s. s. facit glossa *C. Gl. L.* II p. 150, 21: phalangarii: οἱ ταῖς δοκοῖς ἀποκρεμνῶντες βάρη καὶ πλείονες ἅμα βαστάζοντες; p. 70, 14 falangarii: λιθοφόροι, ubi ἀχθοφόροι recte *Meursius*. Extat autem hodieque non tantummodo usus portandi, sed etiam *phalangae* uetus uocabulum, quod in Italia et in Hispania nunc *palanca* sonat. Egit de hoc uocabulo *Groeber archiu. lexicogr. Lat.* IV 1887 p. 426.

Bonnae.

Fridericus Marx.

